



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 7. Lingua antiqua Hispanorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

nem, legantur. Pancirolus cap. 67. Notitiæ Imperij Occidentalis, & Mariana sub initium Historiæ.

§. 7. *Lingua Hispanorum Antiquorum.*

ANTIQUVM idioma Hispanicum credunt plurimi esse hodiernum Lapurdense, quod vulgò dicimus *le Basque*, de quo lib. sequenti cap. 5. §. 5. & huic opinioni doctissimi Hispanorum subscribunt.

CAPVT SECVDVM.

*De præcipuis Hispania Populis, & Insulis.*

PRÆSTANTISSIMA quæque ex historicis seligo, ex quibus lux affulgeat Geographiæ.

§. 1. *De Lusitanis.*

NOMEN habet à *Luso*, vel *Lysa*, Bacchi præfecto, vt fatentur omnes.

QUALITAS. *Aurifera* fuit, vt testatur Plinius, ait enim eam cum Gallæciâ & Asturiâ, vicena millia pondo auri quotannis pensitasse. Nihil de Tago commemoro, auri ad nostram vsque ætatem fertili. Fuit quoque hæc regio *feracissima*, siquidem Athenæus lib. 8. ex Polybio notat suam 100. librarum hîc tantùm emi 5. dragmis, totidem vitulum, ouem duabus; Talentum ficuum 3. obolis, bouem iugo aptum 10. dragmis, syluestria animalia vulgo data. Hîc quoque sal purpureus, qui tritus albescit.

MORES ex Strabone colliguntur lib. 3. Laconicâ utebantur viuendi ratione. Bis tantùm vngebantur: lapillis cãdentibus se calefaciebant. Frugaliter vno cibo vitabant, permutatione utebantur, pecuniæ loco. Ægros publicè exponebant Ægyptio more. Coriaceis nauigijs vsi sunt vsque ad Brutum. Prædari malebant, quàm terram colere, licet feracissimam. Lusitanicæ fortitudinis testis Viriathus, cui pares esse Romani non potuerunt, nisi fraude.